veraci testimonio commendentur. Scilicet ut in alios coetus benignius recepti spectatae modes-
tiae fructum aliquem ferre possint. Hac ego ratione Johannem Eckium iuvenem et honarum ar-
tium et verae pietatis studio egregie addictum, in quo aliquid DEI esse video, quem in magna peccandi illecebra inculpate hic vixisse scio. Velim quocunque se verterit bonis benigne in-
dicantibus quam commendatissimum esse. Proinde eos rogo ad quos haec mea testificatio per-
tinebit, ut ijs eum officijs prosequantur, quae non nisi quietis ingenijs et recto pede ad doc-
trinae laudem intentibus debentur. Christus qui suas oves colligit in sua multiplicet coetus
pacem Ecclesiae precantium. Cal. Novemb. 1565.

Johannes Molanus Duisburgi literarum
Professor.

[Kenchelio]
Dn. Conrado Kenchelio Sen. alteri urbis lucerna. Pax Christi

Vetus dictum est: apage hospitem in tempestate. Venit ad nos nuper Henricus
quidam vester explorator (ni fallor) futurus rerum nostrarum. hoc enim postularam
per epistolam (ut a vobis veniret aliquis adversus quorundam rumusculos de rebus
nostris quaesiturus) Venit igitur Henricus in magna nostra et privata et publica calamitate, et mecum quidem parcissime nec quidquam nisi communia ...iter et perfunctorie
locutus. cum pueris autem Bremensibus multa seorsim collocutus. Unum fecit be-
nigne quod mihi 20 daleros argenti reliquit. fuerat mihi ad levandum luctum
accommodatius si propositis Hessi istius querelis ex me itidem ut ex pueris veritatem
quaesisset. [illegible]. et in nostrum nomen tanquam
in attritas lacunas facile ex petulantibus puerorum linguis influunt sophisticae
criminationes, fitque (nescio quo modo) ut etiam apud cordatos quibus nostra in-
tegritas satis perspecta fuerat, verum inveniatur, quod nobilis ille Alexan-
dri Parasitus dicere improbissime solebat. Fortiter calumniare semper aliquid
haerebit. Nam quod apud parentes meorum aliquid valuerint Hessi praeco-
nia vel hinc intelligo, quod post Henrici confirmationem pueros experior mul-
to ferociores factos, minusque dicto audientes. Pati debeo et possum ut suas recu-
sent qui commiserunt. Mercimentum enim est opera pro pecunia. Sed non expe-
dit nobis ad rectam institutionem, nosse adolescentulos sibi adversus Magistro-
rum imperium, paratum esse apud propitios parentes perfugium, quae res ita red-
dit ferociculos ut vix agnoscant Praeceptores. Philippus in declamatiuncula de
miserijs Ludimagistrorum non temere putat labores legitimae eruditionis ab ijs no-
bis exasperari, quorum consilio et auxilio debuerant promoveri. Hessus
quum meum collegam elegantissimum virum libro incumbentem petijsset saxo vir-
ga vapulavit. hinc illae lachrymae, hinc Bremensium querelae fluxerunt, ama-
tium scilicet suam commilitonem et patriotam iniquissime a nobis exagitatum.
Sit

Henricus Frejaut bre mensis.

[= Mscr. a. 12: Nr. 27]

Nr. 107)

[72]

57.

Sic faciat mihi Dominus et his quae isti hactenus feci non exprobret mihi tua humanitas. Vir clarissime quod his scholasticis nervis obstreso res serias agi te. Hoc impetrem pro tua fide antiqua ne nimium cantoribus credatur (qui si Homero credimus) multa confingunt. omnes pueri nostri valent quam rectissime DEO sit laus sed ego aerumnis debilitor sic ut vix vivere dici possim Benedictus DEUS qui sanctificavit vestras nuptias et de eadem foetu meo eodem die gaudium mihi et luctum dedit. Amen. Conradus vester valet serior facta est eget monitore Salutem precor vobis omnibus et DEUM rogo ut labores nostros adiuvet propter magnam misericordiam suam. Duisburgi Calendis Novembris 1567.

Bremae vestrae laudator

Johannes Molanus.

Nr. 108)

[= Mscr. a.12: Nr. 28]

Dn. Herberto a Langen Pax Christi.

Quamvis tua benevolentiae recordatio frater venerande nunquam potest animo meo excidere, tamen negari non potest, quin haec disiunctio partim, partim vitae fluctusque negotiorum intercipiant fructum prope universum quem nos ex arctissima amicitia capere oportebat. Sensi id nuper in meo luctu quem scio tibi iampridem ex alijs auditum ordine, ut nihil opus sit nostra commemoratione. DEUS sarciat ruinas nostras valde et largiter misertus nostri Amen. Haec privata mitto, publica iactatio misera fuit hoc biennio tum in Schola nostra tum in Ecclesia. neque id iam novum est quum nihil usquam sit stabile et tranquillum. Contigerat Scholae gubernator doctus ille quidem sed minime hoc agens. hinc non observatis bene gerendae rei temporibus turbulenta prorsus et sine laetitia navigatio fuit. Quin etiam alijs alio intentibus spectaculum facti sumus pessimis hominibus qui bonarum rerum interitu delectantur. Remoto igitur a gubernaculis Rectore, nos reliqui naviculatores iussi sumus in illa tristi iactatione navem tantisper retinere. donec comperta sit aut DEO benignius aspirante procedere navigationem, aut praevalentibus ventis DEOque deferente nihil spei reliquum esse. Sane non potuimus hic aliud facere, quum in tertium usque annum opera Reipub. addicta esset iubente Senatu mansimus in nostra statione multum de bonitate et auxilio DEI confisi. Vitrium vestrum volente Senatu ad societatem ministerij assumpsimus freti tua facilitate. Non erit hoc illi inutile si se exerceat vel hunc annum qui nobis est ultimus, in ea functione ad quam videtur natus esse: exacto curriculo, aut (si iubes) maturius maiore alacritate ad intermissa studia in aliquam Academiam rediturus. Magni refert studia mora quadam temporis maturescere quasique roborari. Victum ego suppedito. Magistratus numerabit 16 daleros. Gaudeo huncque eum tua liberalitate provectum, ut iam nunc honesto labore sibi vitam quaerere possit. Henricus a Langen ea est modestia, ita amplectitur studia et Praeceptorem, ut

nihil